



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Die quarta Iulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

Die quarta Iulij.

*De sancta Bertha, fundatrice Blaniciaci,  
& prima Abbatissa.*

Blaniciaci, depositio sanctæ BERTHÆ, pif-  
simæ abbatissæ, quæ ibidem vitam finiuit in  
pace, multis in eodem loco virtutum signis usque  
hodie resplendens. Hæc dum ad viginti annorum  
ætatem peruenisset, à Sigifrido Clodouei regis cō-  
sanguineo in uxorem petita est. Cui nupta quinq;  
peperit filias, Gertrudem, Deotilam, Gesam, Ge-  
stam & Emmam. Mortuo autem marito, Mar-  
cianis cum sancta Riestrude (erant enim dñorum  
fratrum viduæ) sollicitè additis ieiunijs orabat  
Dominum, ut ad suum famulatum opportunum  
vellet construere monasterium. Tertia autem nocte  
transacti ieiunij, ab angelo designatum est Blan-  
ziacum oppidum, super Thenam fluvium. Quo  
in loco constructo, & à beatis pontificibus de-  
dicato oratorio, ab ipsis religionis vestibus in-  
duta est. Duas quoque filias Gertrudem & Deo-  
tilam, mortuis Gesa & Gesta, secum Deo obtu-  
lit. Quintam vero, quæ Emma dicebatur, & Wa-  
racino regi Anglorum postea male nupsit, sub  
sacerdoti habitu ibidem nutriebat. Fuit porro in-  
ter primarios nobiles Theodorici regis quidam  
Ruodgarius, qui Gertrudem multum, iam Deo  
dicatam, in uxorem expetebat. Vnde tandem san-  
cta Bertha eam coram toto cœtu posnit ad cor-  
nu altaris, & ostijs patefactis respondit Ruodga-  
rio : Ecce sponsa Christi adest, à venerabilibus  
episcopis velata, atque ad istud altare Deo dona-  
ta. Si audes Domino auferre, aufer. Nos etenim

Iulij 4.

N A T A L E S

muliebris conditionis, virili manu tibi repugnare non valemus. Defensor noster Deus nos non relinquet. Quibus auditis ille, timore & ira repletus, abscessit. Nec conatus suos contra sanctam Bertham apud regem perficere potuit. Finiuit autem pīssima fundatrix vitam suam in pace, die quarta Iulij, & multis virtutum signis resulfit. Est autem abbatia eius in Blanxiaco municipio, postea conuersa in abbatiam monachorum ordinis sancti Benedicti. Qui etsi in Artesia & Belgio nostro habitent, subsunt tamen Bononiensi in Francia episcopo.

Die sancta Iulij.

*De sancta Godeleua, martyre Gestellæ.*

**G**estellæ, passio beatæ GODELEVAE martyris. Quæ honoratis parentibus orta est in territorio Boloniensi. Cùm autem ob vitæ sanctimoniam, iuxta Flandricum suum nomen *Godelieuæ*, Deo valde chara esset, maritus Bertulphus, nobilis Gestellensis, fraude maligni spiritus à tempore nuptiarum acerrimo odio & grauissimis iniurijs eam est prosecutus. Vnde tandem fuga sibi consulens, parentibus calamitas suæ historiam exposuit. Hinc pater à Balduino Flandriæ Comite petijt quod instum erat decerni. Ille vero causam, quia ecclesiastici iuris erat, ad episcopum remisit. Vnde Bertulphus, tum antistitis auctoritate, tum Comitis potestate, sponsam resumfit, optima quæque promittens. Sed multo peiora consecuta sunt. Non enim oderat tantum, ut prius, sed animum in eius necem obfirmabat. Illa interim se præ cunctis Flandriæ mulieribus, quæ supererant,